DE INSTAURANDA MEDICINAE SIMPLICITATE.

A xxxiii q

158

MICHAELIS ROSA

CIV. ARIMIN.

IN R. TICIN. GYMN. P. MEDIC. PROFESS.

SENENS. PHYSICO-CRIT. ACAD. SOC. &c.

ORATIO

DE INSTAURANDA MEDICINAE SIMPLICITATE

AD TYRONES

HABITA IN AUDIT. MAGNO GYMN.

QUUM TRAD. MEDIC. MUNUS PUBL. AUSPICARETUR

Poſtrid. Kal. Jun. ann. 1767.

MDCCLXX.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

CAROLO FIRMIANO
COMITI EQUITI
M. THER. ET JOS. II.
AUGUSTORUM
A CUBICULO A CONSILIIS A NEGOTIIS
APUD ITALICAM PRAEFECTURAM
LEGATO
REI LITTERARIAE
CURATORI
SAPIENTI INTEGRO
PROBATISSIMO

MICHAEL ROSA
LONGAEVITATEM.

ORationem, quam ante hos tres annos habui in Regio Ticinenſi Gymnaſio, quum Medi-

cinae tradendae munus ſolemni ritu auſpicarer, Tibi cenſebam animo, FIRMIANE COMES; ea quando ſaeculi, ea quando noſtra felicitas eſt, ut Idem litteras, & earum cultores, ames; Idem rei litterariae per Inſubriam inſtaurandae, Moderator, & pene Author, praeſis; Idem ſic mecum egeris, ut omnia Tibi me, etiam recenti beneficii memoria, debere ſentiam. Nunc vero eam, quando vulgari neceſſe eſt, & verbis, Tibi, & re ipſa cenſeo. Siquidem & Tua eſt, quae, Te auſpice, primum orta, nunc, Te jubente, in publicam ſe lucem profert; & eſſe flagitat, quae, Tuo ſine Numine, ſe, quum prodie-

rit, vix tutam fore confidit.

Non enim dubito fore multos, FIRMIANE COMES, qui hoc genus Orationis leve, atque obſoletum exiſtiment, nec ſatis dignum hac iſta noſtrorum temporum ſeveritate; quum me adverſus Dogmaticos, Chemicos, Mathematicos, pro Medicina diſputantem intelligent: quorum ſententias, aut res ipſa dudum refutaverit, aut nulla dies refutatura ſit. Sed hi erunt fere, qui nihil utile, niſi quod ipſi attulerint; aut nihil praeclarum, quod non inſolens, & novum ſit, judicant. Qui ſi cogitaverint, haec non ſapientiae profeſſoribus, ſed Medicinae ſtudioſis comparata eſſe; profecto non ad-

mi-

mirabuntur, Nos publicam materiem ſequutos; qui tyronibus, non nova magis, quam utilia, quam vera, dici credimus opportere.

Neque vero conſtitutum erat haec illa, qualia hic habentur, promere; ſed erat animus, quas partes Oratio pertractat, in totidem lucubrationes partiri, eaſque perpetuis auctas notationibus, & commentariis, quâ hiſtoricis, quâ criticis, in libellum ordinare; futurum quoddam hiſtoriae medicae ſpecimen, noſtris tyronibus non inutile. Sed talia agitantem geminatus continuo ſcholarum labor, prohibuit perſequi; porrexitque in id tempus indigeſtam materiem; ut

dare nunc, non qualem volui, ſed qualem habui, cogar. Igitur, quando jubemur a Te, non erubeſcimus hanc quoque argumenti vulgaritatem proferre: magnorum etiam virorum exemplo, qui nullo impellente, non magis recondita protulerunt.

Nemo enim, opinor, ſapientibus viris ſuccenſeat; Macoppio, qui proxima aetate, e Patavino Suggeſtu, pro Empirica ſecta in ſyſtematicos peroraverit; aut Cocchio, qui Medicinam in Romano Gymnaſio a Lanciſio nuper laudatam, in Piſano rurſum laudaverit. Neque vero reprehenderint, puto, ſi quae, in his paullo uberiore ſtylo exarata ſunt; niſi forte, aut rudem & incomtam

Mi-

Minervam medicam volunt ; aut etiam Fernelios, Lommios, Lambſmanos, &, quibus inſtitutoribus uſi ſumus, Beccarios, & vigentem adhuc Morgagnum, aeque reprehendunt ; quorum aureo nitore Medicinae ſtat decus, & revocata auguſtei ſaeculi celebritas claret.

Quos ego viros, quum vehementer ſuſpicio, ſic in omnibus imitari percupiam ; praeſertim quum eos Tibi maxime probari ſciam. Nam, ut in caeteris rebus authoritate, ſic in Litterarum ſtudiis judicio imprimis permoveor Tuo. Qui ad grandia natus, ſapientiae quaſi lacte enutritus es ; qui collocatam in his operam, longa meditatione, &

magnitudine ingenii cumulaviſti; qui libros lectiſſimos, (ingentem numerum) ſic habes, ut haurias, & in ſuccum animi vertas; qui cuncta & rerum, & temporum monumenta, & Sapientum placita, ſic memoria tenes, ſic recolis, ut abditiſſima ſapientiae myſteria mente animi, & mira ſagacitate pervideas. Atque haec Tua Tibi; nam ſingularem prudentiam, humanitatem, fidem, caeteraſque virtutes Tuas, ne attigerim quidem. Quae vero foris & in Rempub., ea vix recenſeam: ordinatam Provinciam, peractos agrorum cenſus, inſtauratum commercium, vectigalia reſtituta, amplificatas Artes, evocatas Mu-

ſas,

ſas, Minervam in Regni partem adſcitam, AUGUSTAE charitatem communicatam, partam Inſubriae felicitatem.

Inter quae tot, tamque praeſtantia, ac pene incredibilia; ſi hanc etiam tenuitatis noſtrae teſſeram, uſque adeo, (quam benignus es) FIRMIANE COMES, probaveris, ut tueri velis; aliorum ſuffragia nihil morabimur. Et, ſi quae conamur potiora his, alacriore animo perſequemur. Vale.

Ticini prid. Kal. Febr. 1770.

4658

DE INSTAURANDA MEDICINAE SIMPLICITATE

ORATIO

AD TYRONES.

QUemadmodum Structores, & Archytecti magnorum regum palatiis, aut templorum molibus aedificandis conducti, prius quam ſe operi accingunt, longa meditatione univerſas molitionis partes, pro magnitudine, & loco, cunctaque ſeorſim ad uſum, & amplitudinem deſignata expendunt, conceptaſque animo ideas delineatis Iconibus in conſpectum dant contuentium; ut excelſas facies, & ardua faſtigiorum culmina, tum longa atria, columnaſque, diſcedenteſque ordine projectiones pervideant; ipſoſque demum partium interiorum receſſus, & abdita penetralia adapertis

lateribus patefaciunt; ut aequatis ſpatiis diſpoſita tabulata, contignationes, & alta laquearia contueantur: Sic in ordinanda litterarum diſciplina ſolent liberalium artium inſtitutores, prius quàm ad praeceptorum fundamenta deſcendunt, totius operis univerſam diſpoſitionem, & ordinem, ità diſcentibus aperire, ut delineatam quaſi architecturam ipſis animis imbibant, & uſurpent. Quam ego methodum, quum in caeteris apprimè utilem duco, tum in Medicina penitus neceſſariam, ut ne in ampliſſimo rerum, & diſputationum quaſi pelago, palantes errare ſe ſine pyxide, & filo tyrones ſuſpicentur. Mihi autem id oneris ſingulari quodam quaſi jure ſponſionis incumbit, qui in novam hanc lucem ad medicinam profitendam repentè evocatus, meas rationes in diſciplina ordinanda, veſtris judiciis Patr. Sap., meam, in tradenda, fidem, veſtris animis, Adoleſcentes optimi, vehementer probari deſiderem.

Sed talia meditantem revocat ab incepto, avertitque aliò conſpectus hic veſter ampliſſimus, atque iſta haec ex omni civitatis ordine non uſitata frequentia; ut ne in tanta diei celebritate, ſqualenti aut enarratione morborum, aut nuda vos argumentorum partitione detineam. Perſuadet etiam ipſa ſuſcepti muneris gravitas, ut non antè rerum pertractandarum rationem, atque ordinem ex hoc loco proponam, quam quid ego de re

ipſa

ipſa ſentiam, quid ex praeterito medicinae ſtatu conjiciam, vobis audientibus aperuerim. Agitur enim vero nobiliſſima diſciplinarum, ſimul ampliſſima, & difficillima; quae nullis certis fundata principiis, innumeris ſententiarum concertationibus, & hypotheſium commentis confarcinata, inter adverſa partium ſtudia uſque ad noſtram aetatem penè contabuit. Agitur vita hominum, & ſalus, quam nemo unus incertis opinionum argumentis temerè committendam putabit. Quid verò turpius quàm in medendi ſcientià, cuncta dogmatibus, & hypotheſibus agitari, cuncta ſectarum ambagibus, & ipſis quaſi vocabulorum terroribus obſideri? Quid periculoſius, quàm humanae ſalutis praeſidem artem, in aſſidua rerum omnium dubitatione verſari? Verſari autem? Atqui illud multo lacrymabilius eſt, medicinam, quae olim in ſola naturae obſervatione fundata, mirum in modum inclaruerat, inventa demum diſputatione rationis haeſiſſe paulatim, invectiſque hypotheſibus diductam ſtudio partium, atque divulſam, abiiſſe in diverſa, & penè contraria.

Quam ego ſacrae artis calamitatem, ut pro viribus a vobis averterem, Adoleſcentes, ſtatui, de Inſtauranda Medicinae Simplicitate, pauca praefari: ut ab initio intelligatis, quales impoſiti mihi muneris eſſe partes exiſtimem. Neque verò hac in re iis

utar argumentis, quae ex ipſa medicae artis natura penitus deducuntur; ſed ipſas breviter Medicinae vices, & fata evolvam, ut, vel ſilente me, pateſiat, ſalutaris artis diſciplinam per tot temporum, & ſectarum viciſſitudines penè ſubverſam, niſi eò, unde coeperat, revertatur, non poſſe reſtitui. Et quoniam infinitum eſſet de omnibus dicere, & antiquiſſimae Medicorum Sectae ipſa jam vetuſtate temporis obſoleverunt; primùm exſequar ab aetate Galeni ad noſtram, eorum momenta ſyſtematum, quae magno ſaeculorum plauſu, atque omnium penè Philoſophorum ſunt celebrata ſententiis: ab ipſo enim Galeno, tum a Chemicis, & a Mechanicis ea profecta ſunt omnia, quae Medicinam a veteri dignitate, in praeſentem, quicumque eſt, ſtatum, certè ampliſſimum, collocaverunt: tum quid ex ſingulis aut utilitatis, aut damni Medicina coeperit, indicabo: demum conſtituendae diſciplinae rationes ad naturae normam ordinatas paucis expediam.

Qua in re, Aud., non ego hodie, aut Archytecti, aut ſtructoris obeam partes; ſed quaſi monſtrator veterum, qui deſueta primoris ſapientiae monumenta, ſemirutas ſyſtematum moles, labantes hypotheſium ſtructuras, vobis ſpectanda proponam. Mirabimini aequo naturae ſolo, & perſtanti, & facili, inſtabiles, praeſtantium tamen, philo-

lo-

loſophorum labores: enixos tot hominum, tot ſaeculorum conatus, quâ rationum vi, quâ aetate, quâ novis repertis, quâ ipſa animorum inſtabilitate disjectos: ingentem, poſt haec, & eximii cultus ex omni ſcientiarum inſtrumento, adhibitam perituro operi, ſupellectilem: quae circum omnia ſubnati opinionum vepres, & ſquallentes occupant dumi. Sed mactote animis, adoleſcentes; nam latet his ſub ruderibus defoſſum alte, latet ingentis gazae momentum; latet ipſum primaeva gentium religione, ſacrum Hygieiae medicae ſimulacrum, quod ſi eruerimus, ut eſt praeſtanti forma, & virtute; laeta ego vobis omnia felicia fauſtaque ominor, atque etiam polliceor.

Principio quaeratis: Ratio medicum faciat, an experientia? Vetus iſta diſputatio, non tamen ſatis hactenus expedita: ſed illud multò proclivius, quod Boerhaavius praedixit; rationem medicinae fuiſſe fatalem. Nam reputanti mihi, ac ſedulò perquirenti, quî factum ſit, ut quum caeterae artes, & diſciplinae non longo temporis intervallo majorem in modum excultae ſint, ac penè perfectae; medendi ſcientia rudis adhuc feratur, nedum penitus abſoluta, aut certis legibus conſtituta ſit; facilè patuit, non id ipſius artis, aut naturae, ſed impotentis animi, atque ingeniorum procacitatis, eſſe vitio vertendum: quippè

quum medicinae ſtudioſi ſuis nimium fidentes viribus, ejus conſtituendae rationes, non ex omniparentis naturae gremio, ſed ex arcanis argumentorum meditationibus, deduci poſſe judicaverunt.

Et ſimplicem medicinam quum, dico, non eam dico, Aud., quam aut barbari paſſim, aut antiquiſſimae populorum gentes excoluerunt, ex rudi, ſortuitaque experientia concretam, nullis principiis, nulla naturae rerum cognitione, nullo rationis miniſterio exiſtentem. Neque item eam, quam ſapientiae ſtudioſi ab incomprehenſibilibus cauſſarum principiis, a fictitiis aut legibus, aut poteſtatibus per hypotheſim, aut praeconceptam opinionem, ſine ulla rerum cognitione, atque uſu, a ſola rationis diſputatione deductam conſtituerunt. Quarum altera ſine conſilio errabunda, & caecutiens, nec diſciplinae, nec artis nomen meretur, quum in ſortuito rerum caſu perſtare artem manifeſto repugnet. Altera quum in latentium rerum conjectura conſiſtat, etiam temeritatis vitio notatur, quae ab ignotis principiis certas leges, & perpetua artis praecepta temerario auſu procudit. Sed eam dico rationalis artis ſimplicitatem, quae ex compertis naturae phaenomenis, eorumque legibus, ſucceſſione, adfinitatibus, conlatis invicem exemplis, iteratis experimentis, ſic per omnes cauſſarum concurſus, & rerum

rum

rum viciſſitudines, naturae ingenium exploraarit, ſic vera a falſis, ſic certa a dubiis diſcernat, ut ſine ulla rerum latentium conjectura, ſine ullis hypotheſium figmentis, ſolo caſtigatae rationis judicio, certas in uſum leges, certa praeſentis auxilii, & futuri eventus indicia conſtituat. Quam veram eſſe artem ratione ſimul, & obſervationis experimento conſtantem; illud demonſtrat in primis, quod repugnet aut eſſe artem ſine praeceptis, aut ſine rei cognitione praecepta conſtare: cujus enim rei non eſt certa cognitio, ejus nullum eſſe certum praeceptum poteſt; quae autem cognitio aut ab hypotheſi, aut ex fortuito rerum caſu, & quaſi concurſione conſiſtat? Fuiſſeque olim hanc illam inter medicos, indubia conſtat praeteritorum memoria.

Nam primò quidem; experimentalem, & empiricam fuiſſe antiquitus medicinam compertum eſt, quam ab Aſſyriis, Babiloniis, Chaldaeis primò cultam, ab Aegyptiis haereditaria quaſi religione ſervatam, Graeci tandem veluti per manus traditam acceperunt. Stetitque diù apud ipſos in experimentis, & aſſidua ſalubrium effectuum notatione; quae iteratis curationum exemplis, adjectiſque novorum auxiliorum periculis confirmata, multiplices corporum varietates, patentium cauſſarum effectus, perſtantes naturae modos, per varia phaenomena, &

aſſiduas morborum vices, operoſa obſervatione recoleret. Quorum omnium teſtimonia, & memoriam primus Hippocrates ordinavit, firmavit legibus, illuſtravit exemplis, in hanc, quam quaerimus, rationalis artis ſimpliciſſimam formam redegit. Sic medicina orta, remedia creſcentibus identidèm morbis, per longas experimentorum indagines conquiſivit. Donec ſapientiae ſtudioſi, qui ſe Philoſophos nominant, longarum pertaeſi in obſervando, & experiundo meditationum, altiora quaedam animo contemplati, rerum quoque naturas, & cauſſas ſibi pernoſcendas propoſuerunt. Quippe quum nec ſatis artis in experimentis, nec uſum ab obſervatione ſatis potentem eſſe contenderent; ideò corporum etiam origines, & elementa, phaenomenorum rationes, remediorum poteſtates perveſtigari opportere: neque enim aut decere, his ignoratis, manum corporibus admoveri, nec mederi eum tutò poſſe, qui quid intus, aut quomodò vitiatum ſit, non intelligat, aut adhibere remedia, quae non explorarit. Hinc verò ortas primùm credibile eſt Philoſophorum concertationes, ſectarum diſſidia, & diſcrepantes opinionum ſententias, quae perennibus tradita litterarum monumentis, medentum deliria in artis dedecus, & perniciem verterunt. Quod humanae imbecillitatis ludibrium, ſic per omnes medicinae aetates tra-

du-

35476

ductum eſſe comperimus, ut ad noſtra haec uſque tempora nondùm penitus deſueviſſe videatur.

Nam ut praeteram Praxagoram, Dioclem, Chryſippum, Herophilum, Eraſiſtratum quorum poſtremi anatomica ſubtilitate praeſtantes, ignotas hactenus corporum ſtructuras patefecerunt; tum Serapionem, Heraclidem, ipſumque Aſcepliadem, qui novam commentus inſtituendæ artis rationem, divini ſenis oracula, omnemque funditus diſciplinam ſubvertit; Quis poſſit Galenum tacitus praeterire, qui univerſam medicinae rationem a peripateticis principiis mutuatus, non ipſe modo a veritate quàm longiſſimè aberravit, ſed obcaecatos hominum animos adparenti ubertate ſermonis, uſque adeo devios egit, ut ſepoſita pernoſcendarum rerum ſoliditate, in futilibus argumentorum ſubtilitatibus, omnem ſcientiae vim collocarent. Cujus ego viri placita, notiſſimaſque ſententias de elementis, de facultatibus, de occultis qualitatibus, de ſympathiis, de mirabilibus remediorum poteſtatibus, de pharmacis electivè purgantibus, de ſpecificis, de antidotis, de univerſa denique ratione morborum, ut nimius certè ſim, ſi recenſeam, ita ineptiſſimus, ſi refellam.

Quid enim referam abſurdas de intemperie ſine materia ſententias, aut de morbis a tota ſubſtantia? dein confictas cauſſas, aut

im-

impropriis ſedibus attributas, earumdem vices cum effectibus, aut ſolidorum cum fluidis, permutatas? An bene actum cum medicina, & cum ipſa hominum vita putatis, quando univerſi, tot ſaeculorum Medici, poſthabita aegritudinum, & naturae obſervatione, morborum rationes, non patentium notatione cauſſarum, non manifeſtis inſtrumentorum, & fluidorum, aut impedimentis, aut vitiis, non citato, aut imminuto motionum momento diſcretas; ſed ab impedita, aut devicta facultate, aut viſceris, aut humoris intemperie, aut ab exſuperante qualitate definiverunt? quum ſimplicium, & auxiliorum poteſtates non multiplici experimentorum cenſu, ſed ſaporibus, coloribus, ipſis demum ſympathiis, & figuris aeſtimatas, diſtinctis ſpecie qualitatibus, definitoque gradu, aegris corporibus adhibuerunt? Eaque auxilia, ſeu potius portenta non adversus morbos uſu, & ratione compertos, ſed ſecundum aut loca, aut aegritudines, adversus pituitam vitream, aut bilem atram, aut pituitam defluentem, vel transfuſo in arterias cruore, vel obſtructis cerebri ventriculis agitavere?

Neque verò Graecorum tota fuit iſta tanta labes, & mirabilis in aperta futilitate ſubtilitas, quae ab Authore Galeno per Oribaſium, & Aëtium in Alexandrum Trallianum, & Paullum Aeginetam, uſque ad Actua-

ɛ̃tuarium, & Myrepſium propagata eſt: Sed ab his in Arabum principes Rhaſim, Averroem, Albucaſim, Avicennam, caeteroſque ejus gentis artifices, vix memorabili permutatione traducta, Italis tandem demandata eſt. Nam poſt Arabes, caeteraſque humani generis calamitates, reſtitutis tandem ſcientiis, & fervente per Italiam litterarum ſtudio, arcana iſthaec medicinae myſteria, per infinita librorum volumina, perque magnae contentionis diſputationes diù, multumque tractata, in aliquorum uſu fere uſque ad noſtram aetatem invaluerunt.

Sed Arabum Sectae, quamquam veterum libris interpetrandis majorem operam inſudarunt; tamen novis etiam excogitatis remediis, noviſque a Chemia nuper inventa, deductis praeſidiis, modicum inſtrumentum mirificè locupletarunt.

Ac de Chemia quidem ſermo incidit peropportunus, quam quum Theophraſtus Paracelſus ab Arnoldo Villanovano, Raymundo Lullio, tùm Rogerio Bacone, Baſilio Valentino, caeteriſque acceptam, medicinae adhibere conſtituiſſet; mirari ſubit, eadem via, & naturali ſcientiae novam lucem eſſe ſuffuſam, & medicinam in extremam quaſi perniciem deductam eſſe. Nam Paracelſus vir acri ingenio, & novarum rerum cupidiſſimus, quum latè patentem Galenicorum doctrinam evertere in animum induxiſſet,

ni-

nihil moratus, aut perſpicuitatem ſermonis, aut rerum ipſarum veritatem, omnia funditus ſcientiarum jura commiſcuit, & perturbavit. Tunc exauditae voces ipſa novitate, & incredibili vaniſſimi hominis temeritate mirabiles, inexplicabiles librorum tituli, portentoſa vocabulorum myſteria totis paginis reſonantia. * Quae quidem omnia ita vociferatus eſt temulentus homo, ut ea minus ad Medicinam, quam ad univerſam ſcientiae rationem, pertinere velle videretur. De ipſo autem homine, de aegritudinibus, de remediorum naturis, quae, & quanta effutiverit, quis veſtrum, Aud., audire ſuſtineat; quis audeat recenſere? quum morbos a flagello, plantarum virtutes a florum coloribus derivandas, remediorum omnium vim in Mummia ſomniaverit contineri.

Atque haec, Aud. famigerati hominis & è chemica ſecta medicorum principis, non quidem placita, abſolutaeque ſententiae, ſed ſumma quaedam ex immenſa deliriorum farragine veluti delibata principia. Quid verò Petrus Severinus, quid Crollius, quid Scheunemannus, quid ipſe Helmontius, caeterique Adeptorum, qui Paracelſum ſunt ordine conſequuti? Abſurda eadem, coſmicas analogias, ſignaturarum doctrinas, amuletorum vires, & carminum, pharmaca univerſalia, elyxiria, lapides, alkaeſt ſempiternae longaevitatis, deliramenta moroſita-

tis, & impudentiae pleniſſima. Helmontius autem elementa rerum aquam, & fermentum, praeſideſque virtutes poſuit Gas, & Archaeum: ſtomachum animae, & morborum ſedem, ejuſque cum ſplene duumviratum latè dominantem: digeſtiones ſenas, moderante acido: cuſtodes valvarum contra vim aëris impoſitos binos. A concuſſo Archaeo, & irato morbos, & febres oriri: horum cauſſas recepta, & retenta, ſedes viſcera, praecipuè naturalia, aegritudinum autem omnium domitorem Alkaeſt. Poſt hos autem Otho Tachenius, & Sylvius *de le Bois* magno ſequacium plauſu advenientes, compoſita aptius ad diſciplinam jocularia circumtulere. Acidum, & alkali ſumma actionum principia: horum concurſu perpetuas gigni fermentationes, quibus obortis, quaſi concertationibus, & fervorum turbis, cuncta in corpore, in vitae adminiſtratione, in morbis ipſis gerantur. Hinc acidorum, & alkalium per viſcera ſtationes diſpoſitae, & munera diſtributa: eſſe alkalicam felli vim, eſſe acidam pancreaticae lymphae, mixtam, ſuperante acido, ſalivae. Horum quaſi triumviratu cuncta adminiſtrari: acido fermento ſubigi cibos in ſtomacho, demum tranſmiſſos occurſu bilis ferveſcere, turbari, ſecerni; hinc per inteſtina diſpelli, indè in ſanguinem, iterumque obortis turbis in corpus omne diduci; alterutrius vitio progigni

vi-

viſcidum, ſuperante bile, ſervorem, undè febres, & aegritudinum agmina.

Tandem Williſius praeſtanti vir ingenio, & doctrina, quamquam erat a penitiori Anatome inſtructus, non potuit tamen hypotheſium illecebras declinare; illapſuſque in Chemicorum ſtudia, accitoque in partem operis ſulphure, fermentis, & ignibus quotacumque corporis loca complevit.

Haec, & ſimilia diù, multumque debacchati omnem funditus eruendae veritatis viam, quae in obſervatione eſt, a medicina abſtulerunt. Non eſt hujus temporis, Aud., univerſam Chemicorum doctrinam aut recenſere verbis, aut ordinatis rationibus refutare: ſed videtis ipſi per vos, ſagaces homines, & experimentorum curioſos, quum multa excogitata ſubtiliter, multa utiliter inventa, ad principiorum naturas, ad corporum vires, & liquidorum proprietates perveſtigandas, in naturalem ſcientiam intuliſſent, ſuis modo contenti eſſent, magnam apud omnes gratiam inituros fuiſſe. Sed quum ad medicinam ſe convertiſſent, tum verò multipliciter peccatum eſt: non ſolum enim a fallaci rerum ſimilitudine eò abducti ſunt, ut quae in mixtis per chemica experimenta fieri comperiſſent, ea ſimiliter in humanis fieri corporibus exiſtimarent; ſed illud praeterea acceſſit, ut a ſingularibus experimentis, ad leges effectuum univerſales continuò

pro-

procederent : quod verò ſuit multo perniciosiſſimum, ut principia rerum non demonſtrata, ſed conficta animo, & ſingulares naturas pro cauſſis univerſalibus ultro proponerent.

Quid enim? Si pugnant adverſi natura ſales, ſi fervent commixta in vaſis liquida, ſi quieſcentia immiſſo fermento intumeſcunt; num protinus dicendum eſt, cuncta etiam in vivo corpore fermentis patrari, progigni liquida, moveri, ſecerni? Num ne & abrepta perpeti curſu fermenteſcunt? Num ne ſimplicia, an & diſparibus conſtantia elementis? Num eodem fermento univerſa, an ſingularibus ſingula? Quam multiplex autem fermentorum vis, atque natura, quam uberes fontes, quam tuta domicilia; quae tam degeneres humorum liquores, tam diſpari motu, tam variis ſedibus, aeternum ſollicitet? Quae autem fermenta, quae nec mixtio diluit, nec curſus abripit praeterfluentium?

Quid verò ſi ne iſta quidem de principiis ſententia certo nititur fundamento? Quî enim ſal, ſulphur, & ſpiritum principiorum nomine uſurpent, de quibus nec convenit inter ipſos? neque illud non jure ambigitur, utrum iſta, quae de mixtis per analyſim prodeunt, extricaverit ignis, an fecerit? Quae ſi extricarit, haeret tamen adhuc ſententia; quippe quum ea in alia rurſum dividas ele-

men-

menta. Si autem fecerit, non utique principia futura ſint, ſed phaenomena: quibus, quaſi miraculis ad artis admirationem, & gratiam, uti chemicis liceat; quaſi rationibus ad corporis oeconomiam, non liceat. Quis enim tot iſta ſalium diſſidia, tot iſta ſulphurum, & ſpirituum certamina, exploſiones, tonitrua, cum pacato nervoſi ſpiritus fluxu, cum alternante muſculorum, arteriarum, & ſanguinis evibratione, atque aeſtu; quis vitreas chemicorum cucurbitas, aut metalla in focis liquentia, cum elaſticis & flexilibus vaſis, cum molli viſcerum textu, poſſe crediderit comparari?

Miramini, Aud. tanta fuiſſe chemicos aut petulantia, aut argumentandi licentia, ut quae in metallis ſale tentatis, aut in crudis liquoribus conferveſcentibus fieri vidiſſent; eadem in humano corpore futura affirmarent? Atqui illud magis mirandum, quod certiſſima experimenta docuerunt, ea in vivis corporibus ne fieri quidem poſſe: acida enim in ſanguine nulla extare, nec chemica ſulphura, nec chemicos ſpiritus: alkalia vero, ne per ſummas quidem aegritudines, ne in computreſcente quidem, vivo tamen, corpore, uſquam adinventa. Uſque adeo opinionum licentia mortalium mentes pervadit, ut falſis ſimilitudinum ſpeciebus, ſingularibus experimentorum caſibus, effictis animo principiorum fundamentis, ad hypothe-

theſes, ad generalia ſyſtemata, pro demonſtratis & certis rationibus abutantur.

Neque vero magis certâ ratione firmantur, quae de cauſſis morborum chemicis commemoravimus, acidum, alkali, effervescentias, fermenta: quibus nec omnis morborum vis continetur, ſi, qualia proponuntur, admiſeris; ſi refutaveris, nemo retorqueat. Quas omnes fabularum fatuitates, & errorum ſordes, ni ſerò tandem reſipiſcens ars agnoviſſet, aut Boerhaavius, inter caeteros, repurgaſſet; haereret adhuc iiſdem involuta fumorum nebulis chemia: quae, revocatâ pene, ſuper acido & alkali, veteris Theſſali de ſtricto, & laxo deliratione, medicinam omnem ſupervacua garrulitate compleverat.

Hactenus opinionum ambages, & undantes hypotheſium ſcenas, & commenta ad arbitrium luxuriantis ingenii adornata, ſtrictim, forte tamen nimis patienter perſequuti ſumus; quibus per multas ſaeculorum aetates medicina contaminata eſt. Inter quae quum multa ſunt & inventa ſubtiliter, & proviſa ſapienter, ad rationalem inſtituendam diſciplinae methodum, quam Galenus primus induxit: tum multa itidem ad ordinandas curationum leges, a longa rerum obſervatione, ab iteratis experimentis, a confirmatis veterum praeceptis deducta, quae & praeclara ſunt, eximiamque habent ab

ipſo uſu commendationem. Caetera vero ad cauſſas rerum perveſtigandas, ad corporis naturam, ad functionum oeconomiam, & leges, ad morborum explicationem, ad remediorum facultates, & vires conſtituendas; quaecumque a conjectura, & ratione, a fictitiis principiis per hypotheſes derivata ſunt: ea porro, utpote quum & falſa ſunt, & abſurda, partim etiam fictitia & ridicula; neque ad ſcientiam conferre quicquam potuerunt, neque in libris, & medicorum ſcholis, ſine incredibili artis detrimento verſari. Neque vero plus ſanae frugis a chemicorum repertis emulſeris: ſiquidem hi, reſolutis corporum vinculis, & compagibus, plura mixtorum principia, & rationes, cauſſarum poteſtates, corporum ignotas hactenus proprietates, & vires, protulerunt: ſcientiamque ipſam nova arte, miris phaenomenis, & ingenti rerum ſupellectile locupletarunt; eximio artium pene omnium, & diſciplinarum commodo; ſed deteriore medicinae fato, quam inauditis hypotheſibus, inconditis vocabulorum myſteriis, & arcanorum farragine contaminatam dederunt. Neque etiam in medicarum virium doctrina feliciores galenicis extiterunt; nam quemadmodum illi remediorum omnium, & ſimplicium facultates, adscita a veteribus fide, nullo certo rei argumento, ſed opinione magis, quam ſcientia compertas, in ar-

2486

tem receperunt; ſic hi multa paſſim ex praeconcepta hypotheſi, ex precaria principiorum poteſtate, nullis demonſtratis mechanicarum virium rationibus, concelebrarunt: ut pharmacorum numerum, & varietatem, non utique praeſtabilium auxiliorum auxiſſe inſtrumenta videri poſſint.

Sed jam ad ea tempora ventum eſt, quibus Harveyanum ſidus in Anglia exortum, diſcuſſis errorum tenebris, adapertiſque latebris, arcana naturae myſteria revelavit: excursus sanguinis, & reverſiones, omniumque, quae in corpore sunt, liquidorum, aequata lege circuitus, veros arteriarum usus, & venarum, & cordis.

Cujus inventi fama quum latè per gentes increbuiſſet, tum verò Anatomicorum incendi ſtudia, & acies intendi oculorum; tunc itum in latebras, & coecos naturae receſſus, exſecta defunctorum corpora, excisa membra, extaque patefacta; quaeſiti vaſorum gyri multiplices, & membranarum textus, ipſaque fibrarum filamenta ſubtili indagine perveſtigata. Quibus in ſtudiis & Bartholini, & Ruyſchius, & magnus Malpighius, pluresque alii cumprimis inclaruerunt. Protinus conceptacula, ventres, hypomoclia, vectes, fulcimenta, trocleae, torcularia, cribra, trabeſque, & retinacula univerſis functionum uſibus accomodata. Quibus detectis, quaſi vitae inſtrumentis, de ratio-

 nibus

nibus inquirendum fuit : ergo mechanicorum principes, & Mathematici naturae legum peritiſſimi extiterunt, qui animalis vitae, ut vocant, oeconomiam, demonſtratis theorematibus expedirent, qui partium poſitus connexiones, vires, ſtructuras diligentiſſime aeſtimatas, & potentiarum momenta, & reſiſtentium pondera movendorum, ipſas demum ex figura velocitates ſubductis rationibus expendentes, univerſas effectuum difficultates enodarent. Borrellum, Pitcarnium, Bellinum, Meadium, Hoffmannos, innumeroſque praeclari nominis viros, quid hic commemorem, quid magnum Boerhaavii nomen, qui Mechanicorum, & Chemicorum authoritatem, ſummus ipſe & chemicus, & mechanicus, ita poſitis finibus temperavit, ſic jura diſtinxit, ſic licentiam coercuit, ut aut unus poſt homines natos perfeciſſe rationalem diſciplinam dicendus ſit, aut perfectam eam nuſquam eſſe futuram? Quid verò de medicina? Num putatis, exactis tot ſapientum laboribus, tot phyſicorum repertis, tot profectorum ſubtilitatibus, tot chemicorum experimentis, univerſam ejus abſolutam eſſe rationem? Quid ſi animalis vitae ratio innumeris adhùc, & magnis urgetur ſententiarum varietatibus? Quid ſi aegritudinum vices mirificis errorum tenebris implicantur? Quid ſi remediorum poteſtates hactenus ignorantur? Quid ſi cuncta, quae ad

ad artis aut cognitionem, aut uſum ſpectant, ingentibus haerent difficultatibus impedita? Et habet illa quidem diſciplinae methodus ad naturae leges, ad motuum phaenomena, ad ſolidorum reſiſtentias, & vires accomodatam rationem, & numeris omnibus abſolutam: quippe corporum elementa quum certis diſtincta molibus, & figuris, certis itidem librata ponderibus in natura conſiſtant; unum facile evincas, ut ex cognitis machinarum poteſtatibus per definitas motuum, & reſiſtentiarum leges, effectus eruas neceſſarios. Quae ſi a certis principiis dimanant, & certa conſtant notitia, eſſe utiliſſima ad augendam ſcientiam neceſſe eſt, & propius ad naturae cognitionem ducentia. At ſiquidem ab hypotheſi, & conjectura deducta sunt, innumeris errorum tenebris obruare: nempe etenim effecta quidem his attributa noscuntur, & explicantur; illorum autem magnitudines, vires, figuras quis hactenus certis rationibus demonſtravit? In animali vero oeconomia, in morborum hiſtoria, in remediorum facultatibus, quam multa sunt obscura, & diverſa, & cum his apertè pugnantia? Quam multa in nervorum spiritu, aut poteſtate, in actionum consensu, in machinarum harmonia, in vi vitae, in inſita corporis energia, quae nullis unquam aut numerorum argumentis, aut quantitatum rationibus expediveris? in

quibus tamen tota forte naturae vis, & ratio conſiſtit. Quid verò ſi ipſi multa Mechanici disputant inter ſe? Quid ſi nec perpetua servant, quae ponunt? nec quae servant, aeque cohaerent?

Et illud certe cumprimis peccatum eſt a Mechanicis, ut notiſſimorum effectuum cauſſas dederint, aut impares, aut ignotas. Nam, ſi membrorum contentiones, & niſus, pro mole, aeſtimantur, & poſitu musculorum; quid quod membra videas intentiſſima qua parte musculi vix memorabiles? ſi effectus aequantur cauſſis; quid quod motus videas ingentes totis corporibus erumpentes, & eximias nervorum diſtentiones a levi affrictu feſtucae, ab odore leviſſimo? Quid quod alii contra? ſi omnia vigentis animae reguntur imperio; quid quod commoveor vel reſiſtens? Rurſum ex adverso; ſi nervorum spiritu cuncta citantur; quid quod vacuata spiritu corpora sub ipsam necem immaniter diſtenduntur, & ingentia vitalium motuum momenta nervi ſuſtinent exiliſſimi? Quid autem obſcurius ipsa nervei laticis natura, aut vi inhospita peſtilitatis, & venenorum?

Fluidorum autem naturas, & degeneres qualitates ultro profeſſi per mechanica expediri non poſſe, ab ipſis Chemicis mutuantur; quod quum ſpontè fatentur, illud etiam fateantur neceſſe eſt vel inviti, mecha-

chanica principia minus latè patere, quam ut omnem animalis vitae rationem complecti queant.

Quae verò iſta acrimoniarum in humoribus, & putredinis ſeges, atque proclivitas? Num ſi aëri patens aliquid, & leni fotum calore computruit, protinus & liquida concluſa vaſis, & motu abrepta continenti computreſcere dicenda sunt? At olea quidem diuturno calore rancescunt, tum alia ſimiliter quiete loci, & fotu asperantur. Num ergo & circumflui humores admiſſa ſimiliter labe tentantur? Quam multiplices autem in humoribus vulgò confictae sunt acritates, putredines, effervescentiae, malignitates? quam multa porrò super his jactata sunt, atque jactantur? Nonnè mirari subit, indoctos homines, & è trivio medicorum, nulla rerum peritia, aut ratione suffultos, iſtas vocabulorum gerras ita paſſim effutire, quaſi omnia in corpore salibus, & acritatibus, vellicationibus, & ſtimulis cierentur? Nec verentur ea temere in vulgus venditare, quae ignorant, vel ignorare quae certis experimentis, & indubiis sunt celebrium virorum teſtimoniis conſtituta? Quaſi verò non ea Boerhaavius, datis indiciis, & varietatibus, praeſtanti induſtria, & fide ordinaverit? Qui multa expertus, multa diu meditatus, vix ſibi, in his, aut naturae fideret, & rigidiſſimam ratiocinii severitatem

a demonſtratis exordientem, ubique in phyſicis, & medicis poſtulaverit.

Illud verò multo periculoſius, & longe graviſſimum, quod ſingulorum in corpore effectuum rationes, in ſingularibus machinarum inſtrumentis exquiſiverunt. Hinc multiplices errorum cauſſae, hinc tota ratio turbata explicandarum vitae functionum, hinc principiorum fluxilitas demonſtrata. Nam quid magis abſonum, & ab evidenti diſciplinae firmitate abhorrentius, quam eas eſſe putare vires in corde, quas aut Borellus, aut Jurinus, aut Keil ſubductis rationibus inſtituerunt? Quis intelligat tantulo viſceri robur eſſe centum octoginta millia pondo aeſtimabile, ut aeſtimavit Borellus? Quis contra putet eſſe corporis obices a mollibus, ab inertia, a vaſorum gyris, & flexibus, cordis ictibus obſiſtentes, novem libris pondo minores, ut fecit Keilius? Quis exiſtimet in re tam dilucida tot pondo millibus, non ipſa a re, ſed a rationibus, ſummos abſcedere Mathematicos potuiſſe? De re enim quid dicam, quam ipſa experientia declarat? Nonne reſilientes arteriarum parietes, & muſculorum contractiles fibrae, & conſpirantes univerſarum partium conatus, pellendo cruori ſubſerviunt? Nonnè verum illud Hippocratis, in actionibus vitae corporeis conſenſus unus, conſpiratio una, & omnia conſentientia?

Quae

Quae ſi infirma tibi adverſus mechanicos videantur, illud omninò tandem neceſſe eſt ſateare; quemadmodum & caeteras artes, ſic & medicinam non exquiſitis argumentorum ſubtilitatibus, ſed uſu, atque effectibus contineri: eorum igitur potiores fore rationes, quos ipſa ars felicibus commendet experimentis. Et morbos quidem ab omnibus medicis, quamvis diverſa ſentientibus, ad ſanitatem poſſe perduci; ideoque illud etiam cum Celſo quaeri licere; ratio idem doceat, quod experientia, an aliud; ſi idem, ſupervacuam eſſe; ſi aliud, etiam contrariam. Quid ni enim, ſi aut ex rigore febris accenditur, aut ſi jecur intumuit, biliſque ex iis ductibus, quos choledocos nominant, in univerſum corpus refluxit, ad demonſtrata principia potius, quam ad explorata artis auxilia, quamquam ſaepius obſcura, confugiunt? Quid ni aeſtimatis viribus, & reſiſtentiis, ſeu manantia corpuſcula ſubſiſtendo iter claudunt, ſeu coagulans ſal, aut viſcida craſſi ſulphuris ramenta, pororum oſculis inhaereſcunt; expendunt qua athomorum magnitudine diametrorum ſubeant vias, quibus figuris obſtantes viſcidorum moles irrumpant? Quae ſi manca eſſe ad ipſam vim artis, effectuſque edendos concedunt; illud etiam concedant neceſſe eſt; in his igitur medicinam eſſe quaerendam, in quibus ipſa

vitae, & morborum praeſidia conſiſtunt; obſervatione naturae, & rationali experientia. His principiis ſtetiſſe hactenus apud omnes gentes, & apud medicorum principes medendi rationem: nec contemnendam artem, quam mutuantur; nec ſcientiam ogerendam, medicis uſibus inaequalem.

Expectatis poſt haec, Aud., ut ea recenſeam ornamenta, & praeſidia, quae ab excultis Anatome, Chemia, Botanica, Phyſica in Medicinam profecta ſunt? Permulta ea quidem, & praeclara ex ſingulis numerantur; quae, quamquam & circa ſingularia verſantur, & ab ipſis facultatibus magis, quam a ſyſtematum, & hypotheſium rationibus derivata ſunt; ad augendam tamen ſcientiae amplitudinem mirifice contulerunt. Sed ea ego ne recenſebo quidem, quae adhuc in arte deſiderantur, aut quae ex ſyſtematibus detrimenta in ſingulas Medicinae partes fluxerunt. Quae dum conſidero, non poſſum, quin doleam vehementer per tot praeſtantium Philoſophorum conatus, tam vario tot ſaeculorum labore, Medicinae ſtudium vel cognitione, vel uſu, vix quicquam hactenus eſſe provectum. Latere adhuc vitae, & ſanitatis rationes, functionum oeconomiam, agentium in corpore cauſſarum poteſtates, generationis myſterium, leges mutui inter animam, & corpus commercii, vim ſomni, & vigiliarum, diſſimilium natura partium

194

tium conſentientes actionum leges: nec peracutas in his Chemicorum, & Mathematicorum rationes quicquam hactenus profeciſſe. Morborum autem obſcuras aeque ignorari naturas, permutationes, vices, effectus: latere cauſſas in abdito, latere remediorum facultates; fruſtra in his exciri elateres, aut atomorum figuras, aut ſalium luctas, aut fermentorum licentiam, aut adfinitatum leges, aut qualitates occultas: fruſtra incuſari naturam, quum nec vana artis promiſſa reſpondeant, nec ſpecificae remediorum poteſtates, nec longo artis molimine conſarcinata catholicorum pharmacorum miracula. Proin aeque deceptos, qui aut facultates praeſides, aut regnantem latè animam, aut inſitam vim ſolidorum, aut quae multa ex Anatome, & Phyſica iis explicandis paria fore judicaverunt: aeque, qui ex praeconcepta opinione, ex artificum ingenio, ex chemica inductione, fingendam ſibi artem ſumpſerunt, fingendum naturae genium, componendas remediorum vires, conſtituenda dogmata diſciplinae. Nempe illud imprimis dolendum eſt, ceſſatum tot ſaeculis ab obſervatione naturae, quaeſitas diſciplinae leges non a natura magis, quam ab ingeniorum ſubtilitatibus eſſe deductas. Quam ſi qui conſuluiſſent, eos facile intellecturos fuiſſe credendum eſt, in naturali ſcientia, cujus ratio perpetuis legibus con-

ti-

tinetur, fruſtra acui ingenia, fruſtra ratio-
cinii vires per diverſas hypotheſium ſubti-
litates intendi: principia rerum, primaſque
cauſſas denſis late tenebris obſideri, fruſtra-
que iis eruendis Philoſophorum mentes tor-
queri; ſiquidem incomprehenſibilis natura eſt:
recteque adeo illud ex Celſo deductum eſſe
a Pitcharnio, non principiorum, aut cauſ-
ſarum naturas, ſed horum effectus, & na-
turae vires, earumque leges eſſe Medico di-
ligenter perveſtigandas; quibus ignotis, cauſ-
ſarum cognitio nulla futura ſit, notis au-
tem, inutilis, & ſupervacua. Neque verò
opinione magis, quam ſcientiâ certa poſſe
morbis inveniri remedia, quum & conjectu-
ra decipiat, & multa ſaepe aut aliter in
iiſdem, aut in aliis diverſo modo contin-
gant: neque item unis aut experimentis,
aut conjecturis fidendum, quum & ea ſaepe
fallant, & nihil omninò ob unam cauſſam
fieri conſueverit: propterea in omnia ſedulò
proſpiciendum eſſe, periclitantis naturae vi-
res non leviter aeſtimandas, diſſimiles mor-
borum casus ex obſervatione, & hiſtoria
invicem conferendos, videndumque in ſin-
gulis quid natura ferat, aut usus doceat,
aut evidens ratio confirmet, oportereque &
communia, & propria medentem intueri.

Quae ſi praeſtitiſſent medicinae proceres,
quemadmodum ſunt ab artis parentibus con-
ſtituta; non utique doleremus in communi

artis

artis uſu , atque ipſa explicatione morborum , confictas cauſſas , deductas è longinquo rationes , praetervisa phaenomena , intortas majorum ſententias , disjectas conjectandi leges , ſubverſa dogmata ; nova placita , novas methodos ad ſyſtematis arbitrium ordinatas ; haerere in verbis tot jam ſaeculis medicinam . Haerere autem ? Quid ſi corruit in deterius ? Quid ſi ex veteri ſalubritate in perniciem humani generis prolapſa eſt ? Nonne ad caetera artis infortunia illud quoque calamitatis acceſſit , ut ab aſſiduo ſtudio , atque imitatione naturae , in ejus quaſi dominatum conniterentur ? Quo gliſcente in dies malo , omnium ſtudia paullatim in luxum pharmacorum converſa ſunt ; atque hac etiam in parte a veteri , & innocua ſimplicitate diſceſſum eſt . Tum verò nova entium vocabula excogitata ſunt , nova mixtorum naturae ipſi objecta myſteria , novae medicatarum virium poteſtates inventae , arcana , magiſteria , elyxiria , & quae ſunt caetera immani & numero , & varietate , & abſurda ſaepe rerum admixtione pugnantia , & arcanis diſtincta nominibus antidota , ſpecifica , panaceae . Inter quae certum eſt , ſi quando alias , medicinae uſum eſſe penitus labefactatum . Namque , aucto mirum in modum medicinae inſtrumento , in novam elati ſpem vincendarum per vim aegritudinum , ſic omnem obſervationis curam deſe-

rue-

ruerunt, ut etiam in diverſas medendi vias diſceſſerint. Namque alii naturae nomen caeca veneratione ſuſpicientes, conatuſque ejus omnes è ſalute eſſe putantes, incitandam, quocumque rueret, omni artis molimine praedicaverunt. Alii ex adverſo naturae vim omnem, & imperium peroſi, artique nimium tribuentes, cuncta pharmacis, & medicamentorum potionibus peragenda eſſe voluerunt. Quorum primi, invectis in medicinam alexipharmacis, cardiacis, & omne genus concitantibus medicamentis, mirum quot hominum myriadas, per acutas praeſertim aegritudines, laetho dederunt: alteri pugnandum ſtrenue cum morbo arbitrati, enitendumque, ipſa vel repugnante natura, ut omnis illico per vim labes è corpore converreretur, multiplicatis vacuationibus, quâ vena ſaepius inciſa, quâ datis medicamentorum potionibus, quâ effuſis per vim ſudoribus, languentia paſſim corpora contrucidarunt. Quis enim ignorat in graviſſimis morbis non omnia utiliter, nec ſpontè ſemper moliri naturam? Non enitendum medico uſquequaque, non ſtimulis efferandos motus, non fundenda corpora, non convellendas vires? Sed videndum quò ſe res inclinet, quò ſpectet; ſaepe ruenti obſiſtendum naturae, ſaepius cunctandum, quaerendas inducias, ducendas moras, efficiendumque ut trahendo langueſcat ſenſim, quod confeſtim vinci non potuit?

Quae cum ita ſint, Aud. intelligitis tandem, quid cauſſae ſit, cur medicina per tot viciſſitudines, & ſectarum labores vix quicquam in uſu profecerit, ut vel potius tardata ſit. Nam primum quidem ita a Galenicorum ſubtilitatibus irretita eſt, ut a naturalium effectuum contemplatione, quae vera ars eſt, in hypotheſes, & inutiles verborum concertationes abſceſſerit. Sub Chemicis autem, quamquam nonnullis eſt aucta inſtrumentorum praeſidiis, tanta tamen pharmacorum, & opinionum contaminata eſt ſuperſtitione, & myſteriis, ut non magis ad Philoſophos, quam ad Hariolos, & Circulatores medendi peritia translata eſſe videretur. A Mathematicis verò quid paſſa ſit, naturae cognitionem ſuo quaſi jure ſibi vindicantibus, docet iſta tanta ſententiarum varietas, & diſcrepantia, in qua quotidie verſamur. Uſque adeo medicina a Philoſophorum diſputationibus exagitata eſt, ut implicatior in dies, & obſcurior facta eſſe videatur.

Quid igitur reſtat nobis poſt tot graviſſimos medicinae caſus advenientibus, niſi ut alienis moniti erroribus, ea caute vitemus, quae ſalutaris artis incrementa hactenus diſtulerunt: ut his ſoluti tandem opinionum, & ſententiarum compedibus, liberam a ſyſtematibus, ab hypotheſibus, & ſectarum fallaciis ſalutiferam hanc artem colamus: ut praeclarum hoc medicinae ſtudium

eò

cò tandem referamus, unde fauſta primum saluberrimae celebritatis coepit exordia. Eruamus tandem è congeſtis tot errorum, tot fabularum ruderibus pulcherrimam medicinae faciem, atticae ſimplicitatis nitore, & dignitate praeſtantem, divini Senis miraculo, aut ipſius naturae manu exaratam. Nempe eſt in arte, vel in natura potius dicam, eſt vivida vis quaedam, quam nulla unquam aut temporis, aut errorum labes poſſit extinguere. Sunt certa, & perſtantia ab omni aevo disciplinae principia, quibus, pauci porro, sed praeclariſſimi medicinae sapientes, apud cultiſſimas quasque gentes, nobiliſſimae artis decus, famamque ſuſtinuerunt. Nam, quum maxime certae natura ſint, & conſtantes actionum, & motuum leges eae, quibus cuncta reguntur in corpore, quibus aut ſuſtineri vita, aut salus labefactari poteſt: aeque perpetua ea praecepta putare neceſſe eſt, quibus aut regi incolumis vita debet, aut labefactata reſtitui. Quae quoniam unius ad nutum geruntur naturae, hinc illud etiam neceſſario conſequitur; unam eſſe morborum medicatricem naturam; naturae medicum imitatorem, & adminiſtrum, ut tota ars tandem jure finiri poſſit; medicatricis imitatio naturae. Neque vero eos penitus audiendos eſſe exiſtimem, quos conſtat eſſe perplures, qui hanc artem aut eſſe nullam, ex eorum arguunt, qui in ea dispu-

putant , discrepantia ; aut ſupervacuam , quod sola ſibi natura sufficiat : neque enim , ſi diſcrepant inter se medici , id magis artis , quam artificum culpae dandum : neque , ſi in multis natura sufficit , praeſtare idem aeque in omnibus poſſit ; quae certis impellentibus cauſſis , per certa inſtrumenta effectus exerat neceſſarios . Nec rurſum contra , artis abſolutum eſſe in morbos imperium putandum eſt ; quum ea aut caecutiat in conjectura , aut in auxiliis plerumque deficiat : unde illud ex Celſo opportune ; *in nullo morbo plus fortuna ſibi vendicare , quam ars , ars , quam natura , poteſt : utpote quum , repugnante natura , nihil medicina proficiat* . Neque tandem inſtrumentorum , quae medicamenta dicunt , potiorem eſſe rationem : quorum omnis in corpus vis , a natura ; utilitas a medentis conſilio .

Itaque & eſſe artem credendum eſt , eamque , nec exlegem , nec fortuito caſu exiſtentem : Eſſeque primum , & maxime conſtans artis praeceptum ; naturam ſequi , imitari . Quae quoniam natura nunc nimium movet , nunc minimum ; nec ſemper tuto , aut utiliter ; ſaepe etiam aut deficit , aut aberrat : proin eſſe illud Artificis , inter haec , noſſe artis , noſſe naturae fines , noſſe inſtrumentorum poteſtates ; ut apto & tempore & modo periclitanti ſuccurrat . Atque his demum tribus quaſi fundamentis , morborum

curationem, & ſanitatis praeſidium eſſe ſubnixum; naturae vi, & actione; artis miniſterio; auxiliorum inſtrumento. Perfectam igitur artis laudem in uſu inſtrumentorum, & naturae cognitione verſari: ut his inſtructus adjutor naturae medicus, ſciat quid, quoque tempore, & loco, & per quae maxime auxilia praeſtandum ſit. Hanc fuiſſe, ab omni aevo, apud celeberrimos medicorum, abſolutam ſalutaris artis imaginem. *Quid enim*, (ut cum doctiſſimo dicam) *quid aliud egerunt viri ingenio, & doctrina praeſtantes, illi, inſtaurandae medicinae, inter Graecos, & Arabes, principes? nonne hanc ſibi propoſuerunt ſtudiorum metam, ut id ipſum intelligerent, naturam ſequi, atque ita ſequi, ut arte eam, ubi opus eſſet, inflectere, & regere poſſent?* (Freind. de Purg.)

Sed ea quando per infinitos varietatum, & ſimilitudinum caſus, ex infinita cauſſarum, corporum, & circumſtantium rerum mutabilitate, implicatione, concurſuque ſic aguntur, ut nullum fere, in uſu artis, eſſe perpetuum medico, aut rerum, aut temporum praeceptum poſſit: propterea unam eſſe ad perficiendam artem, paratam, & conſtitutam viam, in aſſiduo ſtudio, & rerum naturae obſervatione. Obſervatione autem, & naturae ſtudio omnem adipiſcendae artis contineri facultatem, ii non negaverint, qui meminerint medicinam, non ratione, ſed ex-

pe-

perimentis inventam : multa per morbos, multa per valetudinem corporibus evenire, quae nulla unquam ratio monſtraverit : multa experto, & ſagaci rerum pervideri futura, quae omnis philoſophorum ratio reſutet : ideoque etiam ſapientiae ſtudioſos multa invicem ſuper his diſputare ; quid autem in morbis, & cur hoc potius modo, quam illo contingat, cur hoc, quam alio potius utatur, ſolum artificem ſcire : qui multa diu contemplatus, longo uſu, longa naturae obſervatione, mutuaque effectuum inter ſe comparatione, multa modis multis, ex minimis ſaepe cauſſis variari, didicerit. Quemadmodum igitur in evidentibus ratio ſuperat ; ſic in obſcuris deeſſe ſcientiam ; conjecturam poſſe decipere : ſolam in his experientiam cum ratione praeſtare : quae ſit eorum, quae ſaepius & eodem modo viſa ſunt, memoria. Ergo ſalutarem hanc artem, cujus non alia datur certa cognitio, ſimilium notatione effectuum conſtare ; obſervatione fieri memoriam ; ex ea uſum, rationis argumentatione invaleſcere ; hunc effectu cenſeri. Neque enim intereſſe quae prima cauſſa, aut ratio ſit eorum, quae incidunt ; ſed illud maxime, quid ex quibus expectandum ſit, ſcire, & quibus auxiliis, his quae, incidunt, ſuccurratur. Ergo multa per varios caſus ediſcere neceſſe eſt, moliri experimenta, eventus notare, effectuum ſimilitudines acri rationis

judicio percenſere, dubia a certis diſcernere; illa iteratis experimentis explere, haec in artis leges, atque usum referre: Quibus nempe exercitata mens, eò tandem divinae quaſi prudentiae perducitur, ut & praeſentes morborum difficultates, & futuros caſus avertere, tamquam perflante numine, videatur.

Jam vires remediorum, morborum ſucceſſiones, durationes, exitus, ſingulares corporum proprietates, quas idioſyncraſias nominant, ſolo experimento potuiſſe probari; utpote quum in obſcuris ſola ratio nihil ſubjiciat. Itaque etiam corporum ſtructuras imprimis ſcrutandas eſſe; & quae multa chemici, & mechanici ad virium rationes, ad motus, eorumque leges, ad fluidorum proprietates utiliſſima propoſuerunt. Inſtrui verò opportere poſt haec ab experimentis; quorum potiſſima ad naturae cognitionem vis, & utilitas eſt. Huc ergo tota tandem ſe vertit ſalutaris artis peritia, huc ſe omnis diſciplina deflectit; his duobus artium praecellentiſſima continetur, cognitione naturae, imitatione. Ergo perſcrutari corporis, vitaeque arcana neceſſe eſt; naturae leges, modos impenſius perveſtigare; eò tandem uti, ut aſſidua contemplatione naturae, ductum ejus, & quaſi genium obſervatione aſſequamur. Hoc artis opus, haec tandem meta: quam qui longa per taedia diuturnaſque vigilias

gilias attigerit, hic mihi ſapiens, & vere medicus, & Deo ſimillimus videatur. Quid enim illuſtrius, quid ſapienti praeſtabilius, quam ſuper naturae legibus meditari, rimari genium, vias explorare, futura praenoſcere, &, re perſpecta, imitari, obſequi, opitulari, in omnibus praeſto eſſe, eoſque ſanos praeſtare, quos ipſa ſepe per ſe ſervare natura non potuit? Nempe his principiis rudem antiquitus medicinam, ac pene non artem, Aeſculapius pater inprimis fundavit, magnus deinde Hippocrates ordinavit, amplificavit, perfecit; innumeris tota Graecia, Aſiaque curationum miraculis, in omnem perennitatem temporis conſecravit. His inſiſtentes Diocles, Cariſtius, & Araeteus Cappadox, acceptam a majoribus diſciplinam amplificarunt. His uſi Sydenhamus, & Boerhaavius, convulſam tot hominum, tot ſaeculorum hypotheſibus, pene ab interitu vindicarunt. Qui viri ab omni aetate praeſtantes, rejectis iis, quae non certa demonſtratione conſiſterent, aſſumptis iis, quae ab omnibus, ipſa cogente vi veritatis, admitterentur; non vanis diſputationibus fluctuantem, ſed abigendis morbis, & ſervendae hominum valetudini opportunam conſtituerunt. Quos ideo ad referendam pro tot benefactis gratiam, pro tot in genus humanum meritis, vota omnium gentium & populorum, divini nominis aeternitate donatos,

pe-

perennibus monumentis dedicaverunt.

Atque his ego exemplis, non brevem porro, nec facilem, sed certam tamen, ſed tutam ab erroribus perficiendae artis viam fidenter vobis propono: hanc ſine illecebris, ſine fuco, ſine inani hypoteſium faſtu; non incomptam tamen, nec rudem, quae omni expolita cultu liberalium diſciplinarum in aſſidua rerum naturae contemplatione versetur. Quod ſi altiora etiam animo agitatis, fervetque adeo sciendi deſiderium; rursum dico, naturam ipſam intueamini. Nam ſi ab aſſiduo patentium rerum ſtudio, & continenti artis uſu, recreari aliquando animum neceſſe eſt, evehique ad ipſa rerum principia, & abditas cauſſarum rationes; enitamini vel in haec, Aud., quae & jucunditatem afferant, & ornamenti plurimum continent: neque enim ea ab artificis meditatione, ſed ipſa ab arte rejicenda cenſemus. Patet verò late ingens in his meditationum campus, & intacta pene adhuc meſſis abundat. Ego enim ſic exiſtimo; eſſe inſitam animalibus machinis incompertam hactenus energiam, quam nullis elementorum aut numeris, aut figuris expleveris: eamque non ex nervorum aut ſpiritu, aut medullis, non ex cerebri impetu, aut ex cordis elaſtro, neque ex ipſo ſempiterni animi vigore diffuſam; ſed ex conſpirantibus machinarum viribus, atque ex tota corporis compage exiſtentem. Quam licet Hippocra-

tes,

'120 6

tes, ex omnibus memoria dignis, ſuboluit, & indicavit; paucique ex veteribus, quaſi neſcientes memoraverunt, vim vitae, actionum conſenſum, unitatem, harmoniam, machinalitatem, & in brutis praeſertim, inſtinctum, aut inſitam naturae vim; miror tamen fuiſſe hactenus, tot inter meditationum experimenta, a tot ſapientibus praetervisam: quum tot multa per valetudinem, per vitae caſus, & subitas viciſſitudines, hanc late regnantem, quaſi vitae animam, luculentis, & miris modis teſtentur. Nam quum vim ſentiendi, quum vim movendi conſidero, quum motuum, qui voluntate, qui ſponte, fieri dicuntur, rationem confero in ſanis aeque, ac in laeſis corporibus; quum multa penitus introſpicio, quae nec regnanti animo tribuas, dum mens delirat, aut ſomno membra occupantur; quum irritabilem late vim, ſine irritamento operoſam; quum voluntatis inſtrumenta, aut ſine voluntate, aut in ipſam voluntatem nitentia; quum multa demum per morbos, & vitae vices, averſationum, & cupidinum arcana, & ſubitos inſtrumentorum motus, & incompertas partium conſenſiones, & quaſi rationabiles ſine rationis conſilio repente exiſtentes; multaque deinceps, quae volens praetereo; vix adducor ut credam, poſſe tot haec, miraque, ſine occulto naturae perfici miniſterio. Sed eſſe indefinitam hactenus alteque inditam membris,

bris, quaſi vitae praeſidem; a natura virtutem; quam nec Stahlios ego, nec Wytthios, nec, qui contra ingentibus ſtant argumentis, attigiſſe hactenus rear: nam quum illi inextricabilibus urgentur difficultatibus; tum iſti porro, nec pares effectis dant cauſſas, nec aeque omnium potentes. Sed ea non hic ego perſequar, quae longa meditationum indagine continentur. Vos haec o grandes animae excutite, & tentate diu; vos longa phaenomenorum & effectuum comparatione, vos acri judicii vi, quâ in vivis, & ſanis corporibus, quâ in aegrotantibus, quâ in vegetationum oeconomia, quâ in mira illa & arcana hactenus in animalium corporibus, regenerantis naturae vi, hanc illam naturae poteſtatem ſcrutemini, his ſimul omnibus communem unam & parem; quam ego, prope divinans, fore olim revelatae naturae quaſi flammeum, praenuncio.

Haec habui Aud., quae de praeterita medicinae fortuna; haec quae de capeſſenda naturae obſervatione, vobis conſideranda cenſerem. Quae ego non ſtudio partium, non invidiâ permotus; ſed longa meditatione, atque uſu victus, conſtitui: non abſque ſummorum artis principum auctoritate, Hippocratis, Sydenhami, & Boherhaavii praeſertim: cui ego uni tantum in medicina tribuo, quantum liceat ſapientiſſimo medico-

rum,

rum, aut quantum ante hunc tributum ſit nemini. Qui quum multa olim de honeſta medici ſervitute, de facili medicinae ſimplicitate, de commendando ſtudio Hippocratico diſputavit; ſic omnem hanc perpolivit materiem, ut unum nobis ad caetera argumenta adjiciendum reliquerit; ſi ipsa ejus dogmata in absolutum imitationis exemplum proponeremus.

Poſt quae, illud Tibi ego tandem, FIRMIANE COMES, non jam divinans, sed omnino certus confirmo, futurum olim, ut inter divina tot AUGUSTAE Providentiae miracula, praeclarum hoc etiam reſtituti Gymnaſii monumentum; revocatum, Te curante, litterarum decus, grata poſterorum aetas memoria recolet sempiterna. Quo magis laetari nobis neceſſe eſt, quibus in hanc partem curarum vocatis, ad veram vitae laudem, ad plenam nominis commendationem, novus is eſt, & ampliſſimus aditus patefactus.

Quapropter veſtram nunc, Sap. Patr. fidem oro, atque obteſtor, ut me in veſtrum hunc coetum, & ampliſſimum ordinem, ſuprema auctoritate relatum, digna veſtris animis, & communibus ſtudiis, & ſapientiae cultu, benevolentia excipiatis. Vos vero, egregii adoleſcentes, qui litterarum ſtudiis incenſi ad veram laudem, & gloriam properatis, mactote jam animis, & ſuſceptum laborum

curſum, ea, qua coepiſtis, alacritate, & conſtantia, proſequimini: atque ita perficite, ut omnes facile intelligant, Vobis, nec voluntatem, nec praeclara exempla, nec ampliſſima, ab AUGUSTA Munificentia, praeſidia defuiſſe. Me vero, veſtrorum laborum adhortatorem & ſocium, ita Vobis devinctum reputate, ut, ſi quando vires defecerint, voluntatem tamen, conſtantiam, fidem, veſtris commodis nunquam defuturam putetis. Explicit.

Not. ad pag. 12.

(*) Titulos librorum Theophraſtus Paracelſus habet hos, inter caeteros: *Paragranum*, *Paramirum*, *Azoth*. Vocabula arcani ſenſus; *myſterium magnum*, *Iliadum*, *Hirbel*, *Baſilicas*, *Praedeſtinationem*, *Mumiam &c.* Novas rerum denominationes, *Durdales*, *Meloſinias*, *Dimeas*, *Dramas*, *Neapharenos &c.* Praeterea *Eveſtrum*, *Traramen*, *Turban*, ex quibus futurorum ſcientia exiſtat: viſque iſtis a Deo indita *Cagaſtrici ex Aquaſtrica Necrolica* extinguendi. Quae omnia, & ſexcenta ejuſmodi, *Philoſoph. ad Athen. l.* 3. *text.* 18. & ſeq., *in Azoth cap.* 2. & in reliquis paſſim blaterata inveniuntur: incertum utrum majore ſtyli elegantia, an perſpicuitate doctrinae, an ratiocinii fide; ut non immerito eum, *monſtrum hominis, in perniciem omni smelioris eruditionis natum*, vocarit Conringius, *Introd. in art. med.*

Haec de Paracelſo indicare placuit in tyronum gratiam, quamvis ſilere de caeteris, quae plurima, & ſcitu digniſſima, tota oratione memorantur, ipſa operis ratio, vel nolentem coegerit.

Joſeph Galeatius excudebat Mediolani
Kal. Mart. An. MDCCLXX.
Publica Auctoritate.

R11